



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Vocem Ivcvnditatis, E[u]angelium Ioannis XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

Iam hæc cum profitetur Ecclesia, Diabolus exci-  
tat ingentia certamina, & mundus defendit suas  
opinionēs, idolatrias, & alios errores, ideo Ecclesia  
interim sub cruce est, Sed uincit tamen, et glorifica-  
bitur, quia Diabolus condemnatus est. Has consola-  
tiones diligenter meminerimus, ut discamus quomo-  
do contingat liberatio à peccato, scilicet, fide in fi-  
lium Dei. Discamus item, nos non esse iustos pro-  
pter nostras uirtutes, sed propter filium, qui uadit  
ad patrem, id est, intercedit pro nobis. iustificat, &  
uiuificat &c. Discamus item, in tantis periculis non  
interituram tamen esse Ecclesiam, etiamsi rabies  
impiorum, & potentia Turcica, & multæ confu-  
siones rerum humanarum, uidentur penitus minari  
interitum Ecclesie.

DOMINICA VOCEM IVCVN-  
ditatis, Eangelium Ioan-  
nis XVI.

**A** Men amen dico uobis, quæcunque  
petieritis Patrem in nomine meo,  
dabit uobis. Hactenus non petistis  
quicquam in nomine meo. Petite & ac-  
cipietis, ut gaudium uestrum sit perfe-  
ctum. Hæc per prouerbia loquutus sum  
uobis. Veniet tempus, cum iam non per  
pro-

DOMINICA VOCEM

prouerbia loquar uobis, sed palam de patre meo annunciabo uobis, in illo die in nomine meo petetis. Et non dico uobis, quod ego rogaturus sim patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia me amastis, & credidistis quod à Deo exiuerim.

SEMper de oratione hæc quatuor tenenda sunt.

Præceptum Dei, Promissio diuina, Fides, & res petenda.

DE PRÆCEPTO.

*Agnoscent  
& inuocant  
dom. summ  
officiu.* **S**ciamus hoc summum officium esse, ad quod conditi sumus, agnoscere, & inuocare Deum, Ideoq; præcipua, & prima lex est de agnitione Dei, & in uocatione, ut testatur dictum, Dominum Deū tuū adorabis, & ei soli seruias. Itaq; sæpe repetitum est præceptum de inuocatione, ut Luc. 18. Oportet semper orare, et in Psalmo 49. Inuoca me in die tribulationis. Et Matth. 7. Petite, & accipietis &c.

*Præcipimus  
& summum  
cultu inuo  
catio.* Hæc præcepta nos doceant, præcipuum & summum cultum esse inuocationem. Hoc opus discernit ueram Ecclesiam seu populum Dei, ab omnibus reliquis hominibus. Quanquam homines naturaliter intelligunt præceptum, quod iubet Deum inuocare, tamen impij, nec inuocant, nec norunt, quomodo sit inuocandus.

*Impij no  
inuo cant,  
nec norunt dom.*

inuocandus. Ideo in Psalmo dicitur, Deum non inuocauerunt. Etsi autem magnum quiddam est, nosse præceptum de inuocatione, tamen nõdum satis est, sed oportet adiungi promissionem.

## DE SECVNDO.

**A**ccedat ergo promissio, quæ testatur Deam audire nostras preces, & præstare quæ petimus. Norunt gentes præceptum, sed dubitant an audiantur, ut Virgil. inquit, Famam fouemus inanem. Sed Ecclesiæ sunt traditæ promissões, & patefacta uoluntas Dei, ut Deut. 4. dicitur, Non est alia natio tã gloriosa, quæ habeat Deũ appropinquantẽ, sicut Deus noster adest omnibus nobis inuocantibus eum. Huc iam promissiones omnes colligãtur in tota scriptura. Præcipua uero ponitur in hodierna lectione, confirmata iureiurando filij Dei. Amen amen dico uobis, quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, petite, & accipietis, Omnis qui petit, accipit, Item, si homines possunt hominibus bona dare, quanto magis pater uester coelestis, dabit Spiritũ sanctum petentib. Item, uenite ad me omnes, qui laboratis. Item, inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Itẽ, multum iuuabit deprecatio iusti assidue. Item Matth. 18. de precatatione communi. Amen dico uobis, de quacunq; re consentient duo, quicquid petent, fiet. Has promissiones necesse est inspicere, quia dubita-

*Congruis  
promissio  
m.*

## DOMINICA VOCEM

*Dubitatio  
in precatione  
impia.*

dubitatio in precatione, an Deus recipiet nostras preces, est impia. Ideo scribitur, Petat in fide. Iam hic cogitemus, quàm pauci homines præstent hunc cultum Deo. Ideo magna causa est, cur dicat Psalmus, Deum non inuocant. Pauci enim sic accedunt ad precandum, cum bona conscientia, et fide. ut statuunt recipi suas preces.

### DE TERTIO.

*Fides*

**T**ertium est Fides. Hic sciendum est, quid uocetur fides. Primum fides intelligatur fiducia recõciliationis donatæ propter Christum, & quod propter hunc mediatorem & pontificem æternus Deus accipiat nostras preces. Hanc generalem fidem necesse est adferri in omni inuocatione. Ideo hic diserte additum est, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, non fiducia dignitatis uestre, sed fiducia mediatoris Christi, quia necesse est teneri regulam, quod non sit accessus ad patrem æternum, nisi per filium. sicut Romano. 5. dicitur, Per hunc habemus accessum. Item, habentes talem pontificem, accedamus ad thronum gratiæ. Item, Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Hæc igitur Fides discernit precantes, Iudeos & Turcas, & omnes habentes malam conscientiam, Hypocritas, & Christianos uere inuocantes. Iudei, Turcæ gloriantur se inuocare Deum

condito

*Deus quo  
mo do in  
uocari dy*

*Chrg infert  
precas nras  
ad pnm*

conditorem rerum, & quidem ualde superbiunt  
 hac doctrina, quod unum Deum nominent. Sed non  
 inuocant Deum æternum patrem filij missi, et con-  
 stituti mediatoris, imo mediatorem ipsum filiū Dei  
 contumelia afficiunt, ideo non inuocant: Deinde ha-  
 bentes propositum peccandi, non possunt Deum in-  
 uocare, non accedunt ad Deum per mediatorem,  
 & sunt sine fide, ut Ioan. inquit. 1. Ioan. 3. Si cor  
 nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad  
 Deum & c. Postremo hypocritæ, id est, acceden-  
 tes fiducia suæ dignitatis, uel dubitantes, quia ag-  
 noscunt suam indignitatem, nō accedunt ad Deū,  
 non uere inuocant. Sed aduersus hæc necesse est  
 adferri hanc fidem, quæ agnoscit Deum placatum  
 esse per filium, & fiducia huius mediatoris, inuo-  
 cat et petit, et statuit accipi preces nostras, et Deo  
 placere, nec irritas esse, etiam si cuentus uel diffe-  
 runtur, uel non respondent nostræ cogitationi, Hic  
 etiam tenenda est doctrina, quod fides quædam pe-  
 tat sine conditione, quædam uero cum aliqua con-  
 ditione. Sine conditione petenda, & expectanda  
 sunt illa, de quibus nominatim, & specialiter ex-  
 pressa est uoluntas Dei, quod hæc ipsa nominatim  
 daturus sit, uidelicet, quæ sunt propria Euangelij,  
 remissionem peccatorum, reconciliationem, dona-  
 tionem Spiritus sancti, & uitæ æternæ. Hæc cum

R                      petimus

*In Ieron. &  
Tunc cor  
in uocatio*

*Hypocritæ  
in uocatio*

*Quæ petim,  
da sint cō-  
ditionis.*

DOMINICA VOCEM

petimus, statuendum est uere ea nobis prestari, et illa ipsa fide accipi, quæ nos in pauoribus consolatur, iuxta illud, Iustificati fide pacem habemus etc.

In petitione rerum corporalium necesse est adferri

*Ras corpo-  
rals cō  
cōditione  
petendi.*

ri fidem generalem, quod Deus tibi sit propitius, et accipiat preces, tuas. sed de re ipsa, quæ nomina- tim petitur, non statuitur sine conditione, quia in corporalibus ærumnis debemus obedientiam Deo.

*Dauidis  
petitio.*

Sicut Dauid pulsus in exilium petit quidem se reduci, sed tamen addit, si non uolet me Deus reducere fiat, quod ipsi placet, Immo hæc est singularis sapientia Ecclesie. etiamsi non contingit liberatio corporalis, tamen non ruere in desperationem, in blasphemias. aut odium Dei, sed erigi fide, ac retinere remissionem peccatorum, et spem uitæ æternæ certam, quia cum ira Dei sit iusta aduersus peccata nostra, debemus obedientiam in pœna. Sed difficile est in tali certamine retinere fidem. ut Saul frustratus spe uictoriæ prorsus opprimitur desperatione, cogitat se abiectum esse à Deo, nec credit sibi remitti peccata, et in hac desperatione sibi mortem consciscit. Ita plurimi ex impatientia, et propter moram ruunt in desperationem, et æternum exitium, Sed inculcanda est animis doctrina, quod Deus uelit affligi Ecclesiam, propter multas causas, ac uelit accedere inuocationem, ut excitetur

*Desperatio  
Saulis.*

*Ne despera-  
tu msi q  
petimus,  
differtur.*

tur

tur fides accipiens remissionem peccatorum. deinde, ut statuatur Deum autorem esse beneficiorum corporalium, eaque uelle dare, ne in hac uita penitus deleatur Ecclesia, sicut seruauit Noe, Abraham, Moyses, mirabilibus modis, ut reliqua esset Ecclesia. Sic igitur exerceamus fidem utroque modo in petitione corporalium. Primum sciamus statuendum esse de remissione peccatorum propter mediato-rem. deinde sciamus à Deo petenda, & expectanda esse beneficia corporis, & Deo curae esse Ecclesiam, etiam si alia membra aliter exercet, ac uult nos ad obedientiam paratos esse. Seruabat Ecclesiam Deus, etiam si Tyranni Paulum, & Timotheum confecto curriculo interficiebant. Seruabit Ecclesiam, etiam si aliquos pios sicut à Turcis interfici. Sic nos petamus, & expectemus auxilium, et tamē ad obedientiam parati simus. Et quidem sciamus non esse irritas preces, sed semper impetrare aliqua bona, imo & mitigationem corporalium aerumnarum, ut Lu. 21. Orate, ut possitis effugere omnia haec quae uentura sunt

## DE QVARTO.

**Q**uartum est res petenda. Sunt autē, ut iam dictum est, aliae res spirituales, aliae corporales, ut consiliū, successus in uocatione, & cetera uita comoda. Haec omnia uult Deus peti à se, et quidem de uocatione dicitur. Sine me nihil potestis facere.

*Deus auctor  
beneficiorum  
corporalium.*

*Consequatur  
peccatam mi-  
rabiliorem.*

*Res primae  
de duplici  
ca.*



DOMINICA

Ac fides dupliciter exercetur in petitione corporalium. Primū petit remissionem peccatorū. deinde agnoscit Deum autorem esse bonorum successuum, et aliorū beneficiorum corporalium, & uelle ea dare seruandæ Ecclesiæ causa, sicut scriptū est: Scit pater uester quod opus habeatis his omnibus, item: reliqua adijciuntur uobis. Item, iacta curam tuam in Deum & ipse te enutriet. Hic singuli in tuamur peccata nostra, uocationes, calamitates publicas, & priuatas. His tantis necessitatibus admoniti inuocemus Deum. Sicut dicit: Petite. nec sit precatio inanis  $\epsilon\alpha\tau\ \tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ , sine petitione. Milites petant successus in prælio, Senatores sapientiā in dando consilio, & gubernatione, Doctores & discipuli in studijs &c. Deinde & pacem, fecunditatem terræ, honestum, & tranquillum regimen ciuile, ut **1. Timoth. 2.** dicitur. ut tranquillam & quietam uitā agamus in omni pietate, et honestate.

*Gratiarum actio debet sequi petitionem.*

Postremo quoties de precatone cogitamus, ad iungatur gratiarum actio, agnoscamus acceptum beneficium à Deo profectum esse, et ei deberi gratitudinem, quæ ostendenda est dupliciter, celebratione ipsius, & nostra obedientia, et quotidie, multa beneficia à Deo accipimus, sæpe defendimur aduersus Diabolum, depulsus eius insidijs à filio Dei, quas nos prorsus ignoramus, et sunt alia innumera  
rabilia

rabilia beneficia, ideo Paulus inquit I. Thes. ultimo: Incessanter orate, in omnibus gratias agite.

DOMINICA EXAUDIEVANGELIUM, Ioan. XV.

**C**um uenerit autē Paracletus, quē ego mittam uobis a Patre, spiritū ueritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes estis, quia ab initio mecum estis.

Hæc locutus sum uobis, ut nequid offendamini, Alienos a Synagogis facient uos, sed uenit hora, ut omnis qui occiderit uos, uideatur cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. Sed hæc locutus sum uobis, ut cum, uenerit tempus illud, reminiscamini eorum, quod ego dixerim uobis, Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum erā.

LOCI SUNT QUATVOR.

**I** Doctrina de Deo, quis sit, & quo modo sit agnoscendus, & inuocandus.

P 3

Quis